citu apud Vangionum civitatem
donativum cepit erogare
militibus et ut est consuetudinis
singuli citabantur donec ad
martinum ventum est Tum vero
oportunum tempus existimans
quo peteret missionem neque
enim integrum sibi fore ar-
bitrabatur si donativum non
militaturus acciperet hacte-
nus inquit ad cesarem militavi
tibi patere ut nunc militem deo
donativum tuum pugnaturus
accipiat christi ego miles sum
pugnare mihi non licet Tum
vero adversum hanc vocem ty-
rannus infremuit dicens eum
metu pugne que postera die
erat futura non religionis gratia
detrectare miliciam At mar-
tinus intrepidus immo illato
sibi terrore constancior Si
hoc inquit ignavie ascribitur
non fidei crastina die ante
aciem inermis astabo et in
nomine domini ihesu signo crucis non
clipeo protectus aut galea
hostium cuneos penetrabo se-
curus Retrudi ergo in custo-
diam iubetur facturus fidem dictis
ut inermis barbaris obiceretur

// Postero die hostes legatos
de pace miserunt sua omnia seque
dedentes Unde quis dubitet

hanc vere beati viri fuisse
victoriam cui prestitum sit ne
inermis ad prelium mitteretur
Et quamvis pius dominus servare
militem suum licet inter ho-
stium gladios et tela potuisset
tamen ne vel aliorum morte
sancti violarentur obtutus exemit
pugne necessitatem Neque
enim alia pro milite suo christus
debuit prestare victoriam
quam ut subactis sine sanguine
hostibus nemo moreretur 27

Exinde relicta milicia
sanctum hilarium pictave
episcopum civitatis cuius tunc in dei
rebus spectata et cognita fi-
des habebatur expetiit
et aliquamdiu apud eum
commoratus est temptavit
autem idem hilarius imposito
dyaconii officio sibi eum ar-
tius implicare et ministerio
vincire divino Sed cum sepis-
sime restitisset indignum
se esse vociferans intellexit
vir dei altioris ingenii hoc
eum modo posse constringi
si id ei officii imponeret
in quo quidam locus iniurie
videretur Itaque exorcistam
eum esse precepit Quam
ille ordinationem ne despexisse
ipse tamquam humiliorem videretur